



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XLII. Crux in monte Oliveti Christo proposita, torcular fuit, quod ante tempus ei sanguinem expressit sudorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XLII.

**Crux in monte Olivario Christo propo-  
sita, torcular fuit, quod ante tempus ei sangui-  
neum expressit sudorem.**

*Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua  
sicut calcantium in torculari? Isa. 63. 2.*

I.

**J**acobum Patriarcham cerno cum Angelo luctantem, sed sine san-  
guine: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Jonam Prophetam in-* Gen. 32. 24.  
tueor luctantem, & laborantem, sudantem, & astuantem, *& astuantem, quia*  
*mare ibat, & tumescebat super eos, in quod nunc esset projiciendus,* Jonæ I. 13.  
sed sine sanguine. Paulum aspicio Gentibus in sudore vultus sui  
predicantem, & in laboribus pluribus anhelantem: *Testis enim mihi est* Philipp. I. 8.  
*Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi,* sed sine sanguine.

Unum hodie Salvatorem meum aspicio, qui in monte & horto  
Olivario luctatur cum Angelo, sed usque ad sanguinem, usque ad  
mortem. O admirandam rerum immutationem! in monte Thabo-  
reo vultus dulcissimi JESU instar solis irradiabat, & instar nivis can-  
dicabant vestes; jam pallor faciem occupat, sanguis per omnes artus  
prorumpit, & ipsa vestis divino inficitur cruore. O mœstissime JESU!  
an non nimis maturè hoc facis? Adhuc desunt alapa, verbera, flagra,  
spina & ipsa crux, in qua suspensus morte tuâ mortem omnium su-  
perabis, & tu nunc jam ante tempus moreris? *Tristis est anima mea usque*  
*ad mortem?* Equid tandem hunc fatalem è toto corpore expressit su-  
dorem? Certè immensus amor tuus, & misericordia mei tantum tibi  
dolorem infixit; grave peccatorum meorum onus fuit terribile illud  
torcular, quo instar uvæ innocentissima caro tua pressa, pretiosum &  
salutarem illum liquorem effudit. O dulcissime JESU! quis satis  
amet te?

2. San-

2. Sanctus Job expressissima Christi patientis figura fuit, præsertim in illa agonia, quando à Satan gravissimâ impetitus pugna fuit, in qua omnia perdidit, & toto corpore sauciatus est, de quo sacer textus:

**Job. 1. 20.** *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit &c.* Ita, inquam, Christus Dominus in monte Olivario in gravissimo illo certamen spiritûs cum carne, & carne ipsius cum morte imò cum tartareis potestatibus ad pugnandum contra illum solutus, fecisse perhibetur: *Et factus in agonia, prolixius orabat, sciditque vestimenta sua non quidem externa, quæ ad commodum militum referre voluit, sed interna corporis sui, dum ex omnibus membris & poris undequaque sacer cruor copiosissimè profudit: Et factus est sudor ejus velut gutta sanguinis decurrentis in terram;* Supra quod S. Bernhardus: *Non solum, ait, oculis, sed quasi omnibus membris flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.*

**S. Bernhard. Dom. in Ram. Psalm.**

3. Cæterum dum mecum ipse mentis & fidei oculis contemplor Dominum meum JESUM genibus ac facie in terra defixis, in agonia illa luctuosa cœlestem Patrem suum orantem, & ex omni parte sui sacratissimi corporis pretiosissimum sanguinem fundentem, ad eum conversus admiratione plenus compellor cum cœlitibus illis apud Isaiam exclamare: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

**Isa. 63. 2.**

Expende hic, quantum oportuerit esse horrorem passionis & crucis in Christo, ut sudor ejus fieret quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram, ut non solum corpus ipsum & vestes madefecerit, sed & ipsam terram alluerit. O extasin divini amoris! Ô mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ut servum redimeres, te ipsum tradidisti! O dulcis JESU! vidisti ibidem clarissimè & singulatim mea, & totius Mundi delicta gravissima, turpissima, innumeratim luenda, quia *in te posuit Dominus iniquitates omnium nostrum.* Quis hæc considerans non obstupescat? O inauditum omnibus Gentibus dolorem! Ô sudor pretiosissime, myrrhæ primæ & probatissimæ! Sana omnes languores & infirmitates nostras; Sana me qui dixisti: *A vulneribus tuis sanabo te.*

**Isa. 53. 6.**

**Jerem. 31. 17.**

**2. Mach. 3. 15.**

4. O anime mi! Si vidisses Magnum illum Sacerdotem Oniam ante crepidinem altaris tam humiliter prostratum, & pro salute populi ad Deum orantem, quid dixisses? Scripturam audi: *Jam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur.* Et tu nullâ commiseratione tangeris videndo JESUM tuum in monte olivarum ob tuam salutem in proprio sanguine natantem?

Hic vidisses Eliam Prophetam humi sub Junipero se jactantem, & usque ad mortem afflictum, atque ab Angelo roboratum:

Peti-

*Petivit anima sua, ut moreretur. Accede & tu, & consolare JESUM, & 4. Reg. 19. 4.*  
 dic ei humiliter: Imposterum ô mi JESU! ô mi Redemptor, non amplius offendam te.

Hic vidisses Davidem transgredientem torrentem Cedron in summa mœstitia & animi amaritudine: *Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite. 2 Reg. 15. 30.* JESUS Filius David non oculis tantum flevit, sed & omnibus membris: *Quid ergo stas ô anima, subintrat hic S. Anselmus, accurre, suavissimas illas guttas lambe, noli dormire cum Petro, ne merearis audire: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?*

Hic vidisses Jonam Prophetam in profundum passionis mare projectum: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. En Jo- Jonæ 1. 12.* nas evasit, ille verò venit in altitudinem maris, & tempestas demersit eum.

Hic denique vidisses Jacob Patriarcham ad adventum fratris sui Esau trepidum, & confugientem ad orandum Deum, qui misit Angelum, à quo confirmatus est, cùm diceret: *Si contra Deum sortis fuisti, quanto magis contra hominem prevalebis? Et discessit ab eo Angelus, sed quando? Responderur, quando auroram vidit: Dimitte me, jam enim Gen. 32. 26, ascendit aurora.*

Ecce in cruenta illa agonia Angelus de cœlo Christum pariter consolatus est; sed quando discessit? *ꝛ. Ubi auroram vidit, aurora autem illa non erat alia, quàm erumpens ex omnibus membris ejus sudor sanguineus. Væ autem animæ illi, quæ cùm multis peccatorum maculis sit inquinata, hoc sanguineo sudore renuit lavari; audiet hæc aliquando ab hoc sanguinis Sponso illud Ezechielis: Nimo labore Ezech. 24. 12* sudatum est, & non exivit nimia rubigo ejus, neque per ignem: *Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus.*

5. Cæterum prætereundum non est hic silentio, quòd illud sudarium, quo Christus Dominus in monte oliveti sanguineum suum absterfit sudorem, adhuc hodie integrum in monte Sancto Bavariæ conservetur, ac summâ religione à fidelibus propter notas divini sanguinis colatur. Ita P. Gretserus 2. lib. c. 1. de cruce, & Lyræus fol. 12. Vidi hoc luctuosum sudarium, & non sine animi sensu veneratus sum.

Et quàm triste hoc erat Angelis DEI spectaculum, videre universorum Dominum jam penè mortuum, in horto Gethsemani jam trium horarum spatio in agonia illa prolixius orantem, quod & in cruce fecit, ait Barradius & alii, ut precibus suis Batrem humanæ genti conciliaret. De oratione crucis inquit S. Paulus: *Qui in diebus*

*Ginthey Unus pro omnibus.*

X

*carnis*

**Hebr. 5. 7.** *sarnis sua preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Nihil simile auditur in Olivario monte. Audi, & considera S.*

**Math. 26. 39.** *Matthæum: Procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Ergo calix iste pertransit? Minimè gentium. Et quid sequitur? Iterùm secundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Iterùm abiit, & oravit tertio eundem sermonem dicens. Obtinuitne? Minimè: nisi ut fieret voluntas DEI, hanc pluris quàm omnia creata simul æstimavit.*

**Job. 1. 6.** *6. Recordor hic illius diei, quo cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adsuit inter eos etiam Satan, cui petenti mox concessit DEUS, ut Jobum cruciaret, sed non occideret. DEUS bone! à DEO diabolus inter filios Dei comparens impetrat contra Job amicum Dei id quod petit; Et Filius Dei à DEO Patre non impetrat id quod pro se petit? Quid ergo despondes animum, si aliquid à DEO sæpius flagitasti, & non impetrasti? Imitare S. Gertrudem Virginem, quæ suæ voluntati nihil concessit, sed omnia in voluntatem Dei & Christi in monte Oliveti agonizantis transmisit; cui apparuit aliquando mirissimus Salvator Christus, unâ manu sanitatem, alterâ agri- tudinem offerens, deditque ei plenissimam optionem, quidnam vellet eligere? quæ neutrum elegit, sed plicatis in crucem manibus, & in genua procumbens: *O mi Domine, inquebat, volo, ut non meam, sed tuam attendas voluntatem; ego ad utrumque parata sum, tuum est d'ponere &c.**

**Blosus in  
monili spirit.  
cap. II.**

